

coenae administrationem tantum esse repraesentationem quasi scenicam Christi absentis aut simplicem et [25:] nudam picturam significantem, quid diuini aut tantum notam professionis, sicut toga discernebat Romanum a Graeco. Neque concedunt has sacras actiones esse organa, per quae Spiritus sanctus in credentibus sit efficax. Econtra nos statuimus, Christum vt in ministerio vere piis esse praesentem et cum hac sumptione vere eis praestare, quae promittit euangelium. 5

Nunc enarrabimus verba institutionis, de quibus iam atrocia committuntur praelia. Sed simplex est oratio veritatis. Intueamur consilium Christi adituri suum agonem. Etsi illa dulcissima concio in coena plena est salutatis doctrinae et consolationum, sicut homines prudentes semper solent in epilogis dicere, quid eximium et patheticum, tamen praecipuae partes sunt istae: doctrina et promissio de perpetua collectione ecclesiae et institutio ministerii euangelici, quod commendat apostolis cum consolatione de auxilio in calamitatibus et persecutionibus. Ita in institutione huius ceremoniae eundem propositum habet finem. Promissioni enim euangelii et verbo vocali, quod sonare debebant apostoli, addit hunc ritum tanquam σφραγίδα neque voluit tunc instituere singularem aliquem cultum toto genere diuersum a natura ministerii et sacramentorum. Quid igitur opus est accersere prodigiosas vel, vt loqui solent, tremendas interpretationes? Nobiscum agit Filius Dei et non paciscitur cum elementis. Nos vult de bonis illis, quae promittit euangelium, reddere certos et ea in nobis obsignare hoc ritu. Quae igitur amentia est omisso homine quaerere, quid detur pani aut qualis fiat vnio corporis Christi cum pane? Absint isti furores a piis mentibus, qui profecto omnes ignoti fuerunt syncerae antiquitati. Nunquam ecclesia vetus pugnavit de intellectu harum propositionum: „Hoc est corpus meum“ et „Calix est nouum testamentum in sanguine Christi.“<sup>84</sup> Explicata res est. Intelligunt apostoli, intelligunt piae mentes amantes veri-[26:]tatis hoc dici: Ista sumptione vel manducatione testifcor meritum remissionis peccatorum et vitae aeternae ad te pertinere, tibi ista dari, te fide inseri meo corpori, effici mihi membrum, vt ex meo corpore in te propagetur diuina lux vere agnoscens et inuocans Deum, vera vita et laetitia in Deo, denique, vt retractus ex morte aeterna sustentaris, ne redigaris in nihilum. Perinde sicut mea massa humana sustentatur et gestatur a λόγῳ, a natura diuina inhabitante, et vt tandem tuum corpus etiam resuscitatum ex morte et glorificatum viuat vita perpetua et beata, ita hic calix est nouum testamentum in meo sanguine, qui effunditur pro vobis in remissionem peccatorum. Hoc est isto haustu testifcor, te esse socium noui foederis, quod sancitur meo sanguine, mea obedientia et merito, quod impetrat toti ecclesiae remissionem peccatorum. Scito igitur tibi dari non vmbras, non typos, non ornamenta disciplinae externae aut politiae, qualia sunt bona legis, sed beneficium noui testamenti, quod est gratia et veritas patefacta per 30 35 40

<sup>84</sup> Mt 26,26–28 par; I Kor 11,24f.